

supra, et habetur in cap. 4 de Consecr., d. 2. Tertia, ad significandum effectum hujus sacramenti, qui est unio Ecclesiae cum Christo, quia per aquas solent populi significari, Apoc. 17. Quae ratio est etiam Cypriani supra, et has omnes attigit Concilium Trident., sess. 22, cap. 7. Quartam addit hic D. Thom. ex Ambrosio, lib. 5 de Sacram., c. 4, ad significandam gratiam, quae est aqua saliens in vitam aeternam. Quinta esse potest, quia per aquam et vinum duplex natura Christi significatur, quam tetigit Nicephorus supra, et ea utitur Guilel. Durand., lib. 4 Rationalis, c. 30. Neque est omnino rejicienda, eo quod vinum sanguinem significet. Nihil enim obstat, quin simul possit ad divinitatem significandam adaptari; quod, ut retulimus, factum est a Graecis, ad errorem Armenorum confutandum. Sexta, quia hoc sacramentum dari debuit sub specie cibi et potus, prout sunt in communi usu; potus autem communis ac temperatus non est tantum vinum, sed etiam aqua; sumitur ex Gregor. Nyssen. supra; Clemente Alexand., lib. 2 Pædagog., cap. 2; et est accommodata intelligenda, ne nimium probet. Nam etiam vinum purum potest esse potus communis, et ideo aqua non est simpliciter necessaria; habet tamen congruitatem aliquam. Notat denique Cyprianus supra, propter hanc misionem præfiguratum esse hoc mysterium, cum in vino, quod Melchisedech obtulit, tum in aqua, quae ex petra fluxit.

6. *Tertia conclusio.* — Dico tertio, hanc misionem non solum esse convenientem et licitam, sed etiam necessariam necessitate præcepti, licet non sacramenti. Est conclusio certa de fide ex Concil. Florent. et Trident. supra, et ex aliis omnibus supra allegatis. Ut autem hæc conclusio a priori et radiciter explicetur, tria dubia circa illam breviter explicanda sunt.

7. *Dubium primum.* — Primum est, an hoc præceptum sit juris divini, an humani; graves enim auctores censent esse de jure divino, Alens. supra; Hosius in confess., c. 14, in initio; et Castro, verb. Eucharist., hæc. 7; cui sententiæ multum favet Cypr. supra, qui absolute vocat hoc, divinum mandatum; Concil. Afric. et Aurel., quæ vocant sacratissimum mandatum et Salvatoris institutionem; Conc. Carthag. et Trull., quæ vocant divinam Christi traditionem. Et adjungi potest conjectura, quia, nisi Christus præcepisset, non esset ausa Ecclesia miscere aliquid materiæ sacramenti,

quod ad perfectionem sacramenti non spectat. In nullo enim sacramento hoc fecisse legitur.

8. Nihilominus contraria sententia, scilicet, hoc præceptum esse humanum, est communis Doctorum in 4, d. 11; Scot., quæst. 7, in fine; Durand., quæst. 5; Soto, d. 9, quæst. 4, art. 6, paulo ante solut. argumentorum; Ledesma, quæst. 15, art. 7; Gabr., lect. 35 in can.; Guilel. sup.; et favet multum Tridentin. dicens, hoc esse ab Ecclesia præceptum. Nam, licet responderi posset, esse simul ab Ecclesia et a Christo præceptum, et Concil. dixisse quod certius est, non tamen negasse aliud, aut exclusisse, nihilominus tamen ille modus loquendi non solet usurpari in rebus, quæ sunt jure divino præceptæ. Adjungi etiam potest Florent. quod non reprehendit Armenos omittentes misionem hanc, eo quod agerent contra divinum præceptum, sed quod a communi Ecclesiae consuetudine dissentirent. Unde tota ratio hujus præcepti videtur in hac consuetudine poni. Denique Alex. P., et Concil. Tribur., c. 19, solum dicunt, hoc esse traditum a Patribus. Ultimo adjungi potest conjectura, quia si hoc esset divinum præceptum, vix posset reddi ratio, cur hoc non sit de necessitate sacramenti, quia hæc necessitas solum oritur ex institutione et præcepto Christi. Unde in omnibus aliis materiis sacramentorum quidquid ex institutione et præcepto Christi necessarium est, est etiam de necessitate sacramenti. Et hæc posterior sententia sequenda videtur. Ex qua consequenter sequitur, hoc præceptum esse per Ecclesiam dispensabile. Imo addit Ledesma supra, urgente necessitate, posse etiam sine dispensatione hanc misionem omitti. Quod mihi non probatur, quia res est gravior multo, quam consecrare cum vestibus sacris, ut supra sæpe in similibus dixi. Quod autem summus Pontifex dispensare possit, simpliciter probabilis est; practice vero existimo, vix posse occurrere occasionem et causam rationabilem, ut talis dispensatio licite concedatur. Quia hæc mistio est res facillima, et quæ ubique ac semper sine inconvenienti fieri potest. Quid vero dicendum sit ad fundamenta prioris sententiæ, ex sequentibus dubiis patebit.

9. *Dubium secundum.* — *Responsio.* — Secundum dubium est, a quo fuerit hoc præceptum traditum; quidam enim existimant, Alexandr. I, hunc ritum instituisse et præcepisse; unde in vita ejus, quam etiam legit

breviarium Romanum, dicitur jussisse aquam vino misceri, propter aquam et sanguinem, quæ de latere Christi fluxerunt. Et ita tenet Guilelm. Durand. supra, et Sotus citat in eadem sententiam Armachan. Sed non recte, ut existimo. Nam cum ille docuerit, hoc esse de necessitate sacramenti, necessario dicere debuit esse Christi institutionem. Verior tamen sententia est, non fuisse Alexandrum hujus præcepti auctorem, sed a temporibus Apostolorum hoc præceptum manasse. Verisimile quidem est Alexandrum fuisse primum, qui tradidit scriptum hoc præceptum; ante ipsum tamen traditione et usu habebatur in Ecclesia, ut ex liturgia Jacobi, et ex dicto canone 32 Trullan., ex Tridentino, ex ipso denique Alexandro aperte colligitur; dicit enim se tradere quod a Patribus acceperat; et in aliis locis dicitur, Romanam Ecclesiam hoc ab Apostolis didicisse, ac perpetuo observasse.

10. *Dubium tertium.* — Tertium dubium est, an Christus Dominus consecraverit in puro vino, vel aqua misto. Durand. enim, quæst. 5, rem existimat incertam esse; Waldensis autem, lib. de Sacramentalibus, tom. 3, c. 32, defendit Christum in puro vino absque misione aquæ consecrasse, et citat Chrysost., hom. 83 in Matth., non tamen fideliter; ibi enim Chrysostom. disputat contra Aquarios, et ut probet vinum esse necessarium, contendit, Christum in vino consecrasse. An vero illud fuerit mistum vel purum, nihil dicit. Et ita exposuerunt Patres Concilii Trullani, in can. supra citato, hunc locum Chrysostomi; citat deinde Waldensis Ambros., Luc. 9, in quo nihil invenio. Affert præterea Hieronymum, Marci 14, qui potius dicit contrarium. Refert denique Augustinum, seu auctorem libri de Eccles. dog., c. 75, qui non negat, Christum adhibuisse aquam, sed tacito illo facto Christi, refert hanc consuetudinem miscendi aquam vino ad Christi passionem, scilicet, quia aqua ex latere ejus cum sanguine manavit. Unde ab auctoritate negativa videtur insinuare, Christum non adhibuisse aquam, quia si hoc exemplum agnosceret, ex illo potius consuetudinem Ecclesiae probaret; et hoc modo citari possunt pro hac sententia Alexander P., in citata epist., et Innoc. III in c. In quadam, de Celebrat. missarum; et propter hanc rationem tenuit hanc sententiam Paschas., lib. de Corpore et sanguine Christi, c. 44, et Raba., lib. ejusdem tituli, c. 28.

11. *Responsio.* — *Christus consecravit in vino aqua misto.* — Verior tamen et fere certa sententia est, Christum consecrasse in vino aqua misto; ita enim docent antiquissimi Patres, quibus in hac re fides adhibenda est. Jacobus in Liturg.; Clemens, lib. 8 Constit., c. 42, alias 17; Irenæus, Cypr., et alii supra allegati; et consentiunt fere omnes Scholastici, et multum inclinavit in hanc sententiam Conc. Trident., et ad illam accommodari solent in sensu saltem spirituali verba illa, Proverb. 9: *Sapientia edificavit sibi domum, miscuit vinum.* Quæ etiam intellexit ita Hebræus Rabbi Samuel, opusc. de Adventu Messiae, c. 20, in tom. 5 Bibliothec.; et Hieronym., de Quæst. Hebraic., circa lib. 4 Paralip., c. 11, dicit, figuram hujus mysterii fuisse, quod vinum aqua mistum in sacrificium Domino offerebatur. Ratio reddi potest, quia decebat Christum uti potu temperatissimo, atque adeo vino misto. Hanc rationem reddit Hugo Ætherianus, lib. 2 contra Græcos, c. 46. Sed Scholasticis non est probata. Alias posset etiam inferri, æqualem vel majorem partem miscuisse aquæ; tum etiam quia nihil ad rationem temperantiæ pertinebat, ut in tam modico potu, qui non propter corporis refecutionem, sed propter mysterium sumebatur, aqua adjungeretur. Igitur præter voluntatem Christi, si humanam rationem reddere velimus, non est alia, nisi quia fortasse voluit uti vino, prout erat in communi usu, seu prout erat in mensa. Verior tamen est ratio mystica sumpta ex significatione. Nam omnes rationes, quæ nunc movent Ecclesiam, multo magis potuerunt Christum movere. Nec tamen inde fit, hoc esse de necessitate sacramenti, quia non omnia, quæ Christus in cena fecit, hanc necessitatem habent; imo nec necessitatem præcepti divini, ut constat de pane azymo, et aliis similibus. Hinc vero recte intelligitur, optima ratione potuisse Ecclesiam imitari Christum in hoc facto, etiam si ad necessitatem sacramenti non pertineat; et juxta hanc sententiam explicari possunt Patres, qui hanc vocant Christi traditionem et institutionem, quia scilicet ab illius facto et exemplo duxit originem, tanquam a causa (ut ita dicam) exemplari, et ab aqua, quæ ex latere ejus manavit, tanquam a causa (ut ita dicam) finali, quia illud mysterium per hanc misionem representatur; et hoc modo omnia commode expediuntur et conciliantur; nam Patres, qui unam reddunt causam, aliam non excludunt.

SECTIO III.

Quæ circumstantiæ servandæ sint in aqua vino miscenda.

1. Quatuor inquiri hoc loco possunt: primum de qualitate seu natura aquæ miscendæ. Secundum, de quantitate. Tertium, de tempore. Quartum denique, addi potest persona, a qua miscenda est.

2. *Naturalis esse debet aqua quæ miscetur in sacramento Eucharistiæ.* — Primo igitur certum est, illam aquam debere esse naturalem seu elementarem; ita D. Thom. hic, art. 6, ad 3; Alens., 3 part., quæst. 32, m. 5, art. 4; Gabr., lect. 35 in canon.; cæteri Theologi distinctione 11. Rationes sunt: prima, Ecclesiæ traditio et consuetudo; secunda, quia Christus hanc aquam miscuit vino, quod consecravit; tertia, quia hæc sola est accommodata ad significationem, tum quia cum Scriptura dicit aquarum nomine significari populos, plane intelligit de naturalibus aquis; tum maxime, quia aqua, quæ de latere Christi exivit, fuit vera et naturalis, et vox ipsa, qua Evangelista usus est, in proprietate significat, et definitur in c. In quadam, de Celebrat. miss. Unde fit, eo modo esse necessariam aquam naturalem, quo mistio necessaria est, scilicet necessitate præcepti, non sacramenti. Qui vero opinaretur mistionem aquæ esse de necessitate sacramenti, consequenter dicere teneretur, naturalem aquam esse eodem modo necessariam, quia rationes sunt eædem. Addendum vero est, si quis simul cum naturali aqua adjungeret rosaceam, vel aliquam similem, in parva quantitate, imprimis in omni sententia, illum nihilominus confecturum sacramentum, quia habet veram ac necessariam materiam. Deinde non peccaturum contra affirmativum præceptum de aqua miscenda, quia hoc non omittit. Tandem peccaturum graviter contra negativum præceptum, non miscendi aliquid in materiis sacramentorum, præter Christi institutionem et consuetudinem Ecclesiæ. Et ex his judicandum est de qualitate accidentali aquæ, ut quod sit calida aut frigida, pura, etc.; in his enim servanda est reverentia sacramenti, et ordinaria consuetudo Ecclesiæ, et nullus novus ritus introducendus.

3. *Parva quantitas aquæ debet misceri.* — Secundo quoad quantitatem, docent omnes Theologi debere misceri in parva quantitate, servata proportione ad quantitatem vini; quæ vero debeat esse hæc proportio, non eodem modo, nec facile explicatur. Unum vero est

certissimum, aquam non debere esse tantam, ut possit corrumpere vinum, alias deficere posset materia necessaria. Unde etiam fit, non debere apponi in majori quantitate, quam vinum, ut habetur in c. Perniciosus, de Celebrat. missar. Et similiter est certum, non debere esse æqualem, quia licet in hujusmodi mistionibus, si aliquid vini conservetur, probabile sit, consecrationem esse validam, tamen ille modus miscendi aquam et consecrandi materiam, est indebitus, et præter usum Ecclesiæ, et interdum potest reddere materiam vel nullam vel dubiam; oportet ergo, ut aqua sit in minori quantitate, quam vinum; in quanta vero proportione debeat esse minor quantitas, vix potest definiri; nam licet in Concilio Triburiensi, cap. 49, dicatur: *Dux partes sint vini, tertia aquæ, quia major est majestas sanguinis Christi*, tamen Concilium Florentinum dicit, miscendum esse paululum aquæ, et aquam modicissimam; quibus verbis multo minorem quantitatem indicat. Et hoc etiam videtur Ecclesiæ usus docere; nec potest certior regula præscribi, quam ut sit aqua in modicissima quantitate. Et ratio adjungi potest, quia certum est, quamlibet guttulam aquæ, dummodo satis sensibilis sit, esse sufficientem, quia illa est vera aqua sensibilis, et ad significationem sufficit. Aliunde vero, quo fuerit minor quantitas, eo certius erit, non posse corrumpere vinum, sed potius e converso ipsam facile posse converti in vinum, quod fortasse necessarium est, ut debito et convenienti modo fiat hæc mistio. Propter quod Guilel. Durandus, lib. 4 sui Rationalis, c. 30, arbitrio prudentis sacerdotis hoc relinquit, dummodo aqua a vino absorberi possit; sed hoc pendet ex dicendis sectione seq., ubi de illo decreto Concilii Tribur. plura dicemus.

4. *Objectio.* — *Solutio.* — Sed dicit aliquis, non esse verisimile, Christum hoc modo miscuisse aquam, sed prout ad temperandum potum usualem communiter adhiberi solet. Respondetur, hoc recte solvi ex his, quæ supra dixi, Christum non instituisse hoc sacramentum inter cœnandum cœna usuali, ac si rem communem et vulgarem ageret, sed ante inchoatam illam singulari attentione et reverentia, prout mysterium postulabat. Unde fit non oportuisse, ut uteretur in mysterio vino misto, modo usuali, sed modo mystico, prout nunc in sacrificio fit. Et hoc modo intelligendi sunt Patres, quando vocant hunc calicem mistum, seu dilutum et temperatum

aqua; loquuntur enim de mystica et significativa mistione.

5. *Mistio aquæ debet fieri tempore sacrificii.* — *Et ante calicis oblationem.* — Tertio, quod ad tempus attinet, certum est primo, faciendam esse hanc mistionem tempore sacrificii et in ipso sacro calice; itaque non sat erit, quod domi, vel in dolio fiat; quia illa non esset sacra cæremonia, nec sacram haberet significationem. Ita D. Thom. hic, ad 3, dicens, debere fieri mistionem in ipsa celebratione sacramenti; idem fere Alensis, 4 par., quæst. 32, membr. 5, art. 2, in fine, ubi inquit, graviter peccare eum, qui miscet aquam, antequam mysteria vel præparatio ad ea inchoentur. Gabriel etiam, dist. 41, q. 2, dub. 4; Richard., art. 3, quæst. 6, qui advertit aquam debere infundi in calice jam habente vinum, ad consecrationem deputatum ex intentione ministri; idem Sylvest., verbo Eucharist., primo. Rursus, ut minimum, necesse est fieri mistionem hanc ante calicis oblationem; ita enim habet universalis Ecclesiæ usus, et graviter peccaret, qui voluntarie hoc omitteret. Si tamen ex negligentia accidat, et ante consecrationem advertatur, statim adhiberi debet. Si vero facta jam sit consecratio, omittenda est mistio. Quia jam cessavit ratio, et tempus præcepti, et significationis. Nec est jam aqua sanguini Domini miscenda. De toto autem tempore a principio missæ usque ad oblationem nulla est præcepti necessitas. Soto et Sylvester magis probare videntur, quod in initio missæ fiat, quia est major mora temporis, ut aqua in vinum convertatur. Alensis vero dicit in missis solemnibus fieri post Evangelium; in privatis vero solere antea fieri. Contrarium autem a multis servatur, scilicet, ut in privatis missis fiat post Evangelium, in solemnibus autem antea. In missali tamen Romano dicitur fieri debere post Evangelium, facta hostiæ oblatione; et hic modus est satis tutus et sufficiens. Denique in hoc, qui secutus fuerit suæ Ecclesiæ consuetudinem, non errabit.

6. *Quis facere debeat hanc mistionem.* — Circa quartum quis debeat aquam infundere, Guilel. Durand. dicit, cap. 30, solum presbyterum debere hoc facere, quia solus ipse Christum repræsentat, qui suo sanguine populum redemit. Addit Ledes., quæst. 45, art. 7, dub. 3, debere esse eundem sacerdotem, qui missæ sacrificium offert, quia alias non significaretur quod Ecclesia intendit: sed neutrum puto simpliciter esse necessa-

rium, seu præceptum, quia in missali romano præscribitur, ut in missis solemnibus subdiaconus infundat aquam a sacerdote benedictam in calicem; et in hoc sunt diversæ consuetudines, præsertim in missis solemnioribus. Unde in privatis missis tutum est servare quod Ledesma dicit; in solemnioribus vero, quod in missali romano habetur, vel quod tenuerit consuetudo, fieri sine culpa potest.

SECTIO IV.

Utrum aqua vino mista convertatur in sanguinem Domini, et sub hac intentione misceri debeat.

1. *Prima sententia.* — *Rejicitur.* — *Negare, aquam quæ de latere Christi in cruce manavit, fuisse veram aquam, hæreticum est.* — Prima sententia dicit, aquam converti non in sanguinem, sed in quemdam humorem aqueum seu phlegma, quod secundum hanc sententiam de latere Christi Domini exivit. Fundamentum ejus sententiæ est, quia per mistionem aquæ et vini significantur aqua et sanguis, quæ a latere Christi fluxerunt; in sacramentis autem novæ legis id, quod significatur, vi et virtute sacramentorum efficitur. Hanc sententiam refert Innocentius in cap. Cum Marthæ, et in cap. In quadam, de Celebrat. missar., et illam damnat, ut absurdam, erroneam, et catholicæ veritati contrariam. Primo, quia hæreticum est negare, aquam, quæ de latere Christi exivit, fuisse veram et naturalem aquam. Est enim contra vim verborum Evangelii, et contra communem Sanctorum intelligentiam. Deinde illa aqua, quæ exivit de corpore Christi, non pertinebat ad veritatem et substantiam illius; aqua enim elementaris non est de ratione corporis humani. Unde omnes Sancti docent, supernaturaliter ac miraculose manasse aquam illam de corpore Christi jam defuncti; ergo illa aqua non manet nunc in glorioso corpore Christi; ergo non est, quod hæc aqua in illam convertatur. Præterea verba formæ non significant talem conversionem; sed id totum, quod designatur pronomine, *Hic*, dicitur esse sanguis; ergo non fit alia conversio per illam formam. Denique licet sacramenta efficiant quod significant, non tamen omnes cæremonie sacræ, quæ illis adjunguntur, similiter efficiunt. Hæc autem solum est cæremonia quædam sacramentalis, ut dictum est.

2. *Secunda sententia.* — *Secunda sententia est, aquam vino mistam non converti, sed manere in propria specie et natura admistam*

speciebus vini post consecrationem; ita refert Innocentius III in dicto cap. Cum Marthæ. Fundamentum est, quia solum vinum immediate convertitur in sanguinem. Solum enim illud est materia, et solæ species ejus significant sanguinem Christi; ergo aqua non convertitur immediate in sanguinem, cum non sit materia. Dices, converti mediate, scilicet, prius in vinum, et postea in sanguinem. Sed contra, quia prior conversio non est ponenda supernaturalis et miraculosa; nullum enim est fundamentum, neque in forma, neque in institutione; naturalis autem esse non potest, quia naturaliter non convertitur, nec vinum censetur habere tantam naturalem efficaciam, ut tam subito aquam in se convertat, præsertim si tertia pars aquæ misceatur, ut Triburiense Concilium permittit; est ergo hæc mistio solum imperfecta per juxtapositionem. Et confirmatur, quia fieri a multis dicitur, ut aqua sic vino mista filo lineo aut medulla junci, vel alio simili artificio a vino separetur. Quod si objicias, nam inconueniens est aquam misceri vino, si non est in sanguinem convertenda, respondent, non misceri ut convertatur, sed solum cujusdam cæremoniæ gratia, et propter quamdam significationem; cum enim hæc mistio non sit ex Christi, sed ex Ecclesiæ institutione, non pertinet ad materiam, neque ad effectum sacramenti; atque adeo neque ad consecrationem, et conversionem materiæ, sed solum est quedam sacramentalis cæremonia. Neque ex hoc sequitur aliqua indecentia, vel aliquod incommodum, quia illa aqua revera non contingit sanguinem Christi, sed solas species.

3. *Refutatur.* — Hanc sententiam relinquit Innocentius, ut minus probabilem, et ita est ab omnibus Scholasticis rejecta; a D. Thoma hic, et aliis, cum Magistro, dist. 11; Alensi, quæst. 32, membr. 5; Gabriel., lect. 35 in can.; Soto, dist. 9, quæst. 4, art. 5; Alan., lib. 4 de Eucharist., cap. 43; qui omnes docent, aquam infundi calici, ut convertatur in sanguinem, atque ita fieri sæpe, ac frequentissime; et idem docuit Innocent., lib. 4, cap. 32; Raban. supra, cap. 4. Et potest hæc sententia auctoritate Patrum refutari; dicunt enim aquam vino mistam consecrari, sanctificari, benedici, quibus verbis significare solent conversionem. Unde in canonibus a Martino Bracharen. Episc. collectis, can. 53, et habetur in cap. Non oportet, de Consec., d. 2, dicitur, hæc tria, panem, vinum, et aquam,

in typum Christi benedici; et infra dicitur: *Hæc tria unum sunt in Christo Jesu.* Cyprianus, dicta epist. 63, dicit, calicem Domini non esse vinum solum, neque aquam solam, sed utrumque mistum, et hoc esse quod sanctificatur. Clarius Damascen., lib. 4, cap. 14, dicens, *qui fecit omnia, posse ex vino et aqua sanguinem suum conficere.* Ambros., lib. 4 de Sacram., cap. 4, in fine: *Vinum et aqua (inquit) in calicem Domini mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis;* et cap. 5: *Ante verba Christi calix est vino et aqua plenus; ubi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur.* Paschas., dicto lib., cap. 11, expresse dicit, non manere aquam, sed verti in sanguinem; idem sentit Alger., lib. 4, cap. 16, circa finem: *Cum (inquit) vinum pro Christo, et aqua sacrificetur pro populo, et utrumque unus sanguis fiat, quid nisi unio capitis, et membrorum significatur?* Ratione præterea argumentor, primo ex veritate formæ, qua absolute dicitur, *Hic est calix sanguinis.* Per illud autem pronomen, *Hic*, designatur totus ille potus, et liquor, qui in calice continetur; si ergo non totus ille est sanguis, forma non est simpliciter vera. Nam ad veritatem illius locutionis necesse est, ut id totum, quod designatur, non sit alia substantia, nisi sanguis Christi; simili enim argumento infra probabimus, non manere ibi substantiam vini. Secundo, totus calix statim post consecrationem proponitur populo adorandus; ergo supponitur, sub omnibus speciebus illius vini misti non esse aliam substantiam, nisi Christum et sanguinem ejus. Tertio, nam, post consumptionem calicis sacerdos censetur manere jejunos; unde permittitur interdum iterum atque iterum consecrare, ac sumere, dummodo post species consecratas nihil sumat; ergo signum evidens est, credi ab Ecclesia, totum id, quod est in calice consecrato, manere consecratum; alias, sumendo species vini, necessario sumeret sacerdos veram et naturalem aquam, et ita non maneret jejunos. Quarto denique, quia plane indecens fuisset, et non minus absurdum, miscere aliquid vino consecrando, ut simul cum vero sanguine Christi Domini in sua substantia et natura permaneret; ergo ex intentione Ecclesiæ miscetur aqua, ut in verum Christi sanguinem convertenda. Hoc enim non repugnat significationi, sed illam potius maxime juvat, quia melius et perfectius significatur unio Ecclesiæ cum Christo;

ergo per consecrationem revera perficitur hæc conversio, alias valde eluderetur ac deciperetur Ecclesia in hujusmodi cæremonia.

4. *Dubium.* — Difficultas vero superest, utrum, ut aqua convertatur in sanguinem Christi Domini, necesse sit prius converti in vinum, vel possit immediate in sanguinem transire. Et tria imprimis sunt, in quibus fere omnes Theologi consentiunt. Primum, si aqua convertatur in vinum, quando profertur forma, certissimum esse in sanguinem converti, tum quia jam est vinum, et consequenter est materia; tum quia omnia allegata hoc maxime probant. Secundum est, si aqua in debita proportione misceatur et debito tempore, frequentius accidere, ut convertatur in vinum ante consecrationem. Hoc pendet ex principiis philosophiæ; et explicari potest, tum quia vinum propter caliditatem suam videtur esse maxime activum; tum quia per misionem illa aqua in minutissimas partes distribuitur, et a contrario agente undique circumdatur, et ideo verisimile est, facile converti, ut sentit etiam Arist., 1 de Generat., cap. ult. Tertium, et ad usum pertinens est, sacerdotem debere aquam miscere ea intentione, et modo, ut verisimile sit posse facile in vinum converti ante consecrationem. Ratio est, quia in sacramentis conficiendis, id est eligendum, quod certius; si autem aqua in vinum transeat, certum est verti in sanguinem; si autem in sua substantia maneat, ut minimum, est res valde dubia; ergo curare sacerdos debet, ut possit in vinum converti, et hoc docent Ecclesiæ consuetudo, et Concil. Florent., dum inquit, modicissimam aquam esse miscendam; hæc enim videtur esse illius quantitatis ratio potissima.

5. *Dubium.* — Controversia ergo superest, si interdum contingat tempore consecrationis aquam non esse in vinum conversam, utrum maneat, an immediate convertatur in sanguinem. In qua re est tertia sententia, tunc aquam converti in sanguinem. Quæ opinio solet tribui Paschasio, et Algero supra. Sed illi nihil dicunt de immediata conversione, sed simpliciter loquuntur, sicut alii Patres, qui eadem ratione videntur huic sententiæ favere, præsertim Ambros. et Damasc.; indicant enim aquam manere usque ad consecrationem, et converti; et eodem modo referri potest Altisiod., lib. 4 Sum., tract. 5, cap. 2; dicit enim, panem transsubstantiari in corpus, vinum et aquam in sanguinem; citari etiam potest Petrus Soto, qui, lect. 14

de Euchar., sic loquitur: *Neque opus est scrupulose inquirere, ubi aqua apposita maneat. Totum enim, quod in calice est, vinum est, et illud convertitur in sanguinem Christi.* Sed hæc omnia facile explicari possunt. Ex omnibus scriptoribus catholicis solum invenio Alanum, lib. 4 de hoc sacramento, cap. 13, loquentem hæc verba: *Probabilius est, quod omnium pene ecclesiasticorum scriptorum judicio defenditur, aquam modice infusam in vini substantiam prorsus desinere; et tamen si id non fieret, sed existeret aqua in varias et abditas vini partes diffusa, facerent nihilominus unum non specie, sed permistione, et totum illud, modo vinum prædominantem partem obtineret, converteretur in sanguinem Dominicum idque certa fide tenendum est, utcumque illud aliud, cum in naturæ obscuritate positum sit, ignoretur.* Sed excessit hic auctor, præsertim in illo ultimo verbo, quia neque est certa fides, nec admodum probabilis opinio, ut dicam.

6. Fundamenta vero potissima hujus sententiæ sunt eadem, quæ contra secundam sententiam posuimus, quia si necessaria est conversio aquæ in vinum, ut fiat transitus in sanguinem, et semper incerta erit talis conversio, et sæpe erit certum non fieri; utrumque autem videtur eodem modo impugnari prædictis rationibus, quibus secunda opinio impugnata est. Sequela, quoad priorem partem, per se nota est, quia illa naturalis conversio est valde incerta, præsertim si juxta Concil. Triburiense tertia pars aquæ misceatur, vel certe si vinum sit natura sua valde debile, vel nimis densum, ita ut non possit per aquam tam facile dividi, ac distribui, vel, si ex accidenti, sit nimis frigidum. Altera pars sequelæ constat, si, v. gr., contingat, in calice non fuisse positum vinum, et postea instante jam consecratione necessarium sit ponere aquam et vinum, et statim consecrare, nam tunc evidens est, aquam non esse conversam in vinum, et certe in facto Christi videtur ita accidisse, nam ut ex Evangeliiis colligi potest statim ac posuit vinum in calice, consecravit, et dedit discipulis; non ergo expectavit illud tempus conversionis aquæ in vinum. Adde, totam illam moram, quæ est a tempore, quo miscentur vinum et aqua, usque ad consecrationem, esse accidentariam, et præter institutionem hujus sacramenti, ob cæremonia Ecclesiæ; ergo et conversio aquæ in vinum, quæ in illa mora fit, est accidentaria, et absque illa fieri potest consecratio